

inter vos et ipsos, possit in personas excommunicationis, aut terras vestras interdicti sententias auctoritate propria promulgare. Nulli ergo nostre concessionis &c. Datum apud Urbemveterem III. Nonas Januarii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

494.

1264 d. 2 Jan.

Rom.

Påfv. URBANUS IV:s tillstånd för de samma att, i händelse något kyrkans förbud af nämde Prelater förklarar öfver större eller mindre del af landet, i sitt Hof-Capell hålla gudstjenst.

F. 1: 276. An. 3. Ep. 88.

*Urbanus &c. Eisdem.*

Pro sincere devotionis &c. *ut in superiori proxima usque* complacere. Hinc est quod nos vestris supplicationibus inclinati, vobis auctoritate presentium indulgemus, ut cum generale, vel speciale terre fuerit interdictum liceat vobis et familie vestre in Capellis vestris per Cappellanos proprios, januis clausis, interdictis et excommunicatis exclusis, non pulsatis campanis, summissa voce facere celebrari, et audiri divina, et ecclesiastica percipere sacramenta, dummodo vos vel familia, aut Cappellani predicti causam non dederitis interdicto, vel id vobis, aut illis non contingat per alios, quam per . . . Lundensem Archiepiscopum, et . . . Episcopum Roskildensem vestros ut dicitis publicos inimicos, durantibus hujusmodi inimicitiis specialiter interdicti. Nulli ergo &c. Datum ut supra.

495.

1264 d. 2 Jan.

Rom.

Påfv. URBANUS IV:s Förordnande för Bisk. KETIL i Wiborg att, under Ärke-Bisk. JACOB ER-LANDSSONS bortovaro uti Lunds stift, förrätta Biskopsgöromålen.

F. 1: 278. An. 3. Ep. 89.

*Urbanus &c. Venerabili Fratri . . . Episcopo Wibergensi Salutem &c.*

Ad audientiam nostram pervenit, quod Venerabilis Frater noster . . . Archiepiscopus Lundensis se a Civitate ac Diocesi Lundensi tam motu proprio, quam suis culpis exigentibus diutius absentavit, Carissimi in Christo filii nostri E. Regis, ac . . . Regine Dacie Illustrium inimicis publicis adherendo, sicque non est, nec fuit annis pluribus jam elapsis, qui in eisdem Civitate vel Diocesi crisma conficeret, crismaret pueros, et Subditis Ecclesie

*Sv. Diplom.*

Lundensis exhiberet ecclesiastica Sacramenta, et alia que per Archiepiscopos conferuntur, ex quo non solum periculum imminet animarum, verum etiam grave in eisdem Civitate & Diocesi scandalum generatur. Quoniam igitur nostra interest super hoc salubriter providere, Fraternitati tue mandamus quatenus si est ita in Civitate & Diocesi supradictis, quamdiu ab ipsis absens fuerit ea que sunt Episcopalis ordinis auctoritate nostra exercere procuret. Ita quod per hoc Lundensi Ecclesie in posterum nullum prejudicium generetur. Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compe- scendo. Datum ut supra.

496.

1264 d. 4 Apr.

Rom.

Påfv. URBANUS IV:s Bref till Lunds Ärke-Bisk. JACOB ERLANDSSON, alfvarsamt förehållande honom hans många brott, illvilja och stolthet, med sträng befallning att för Prioren i Halmstad och Subprioren för Predikare-Bröderna i Lund, som i sådant afseende honom tillsändas, nedläggga styrelsen af sitt stift.

F. 1: 282. An. 3. Ep. 147.

*Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Jacobo Archiepiscopo Lundensi Salutem &c.*

Ad audientiam nostram fama clamante, et clamore diffamante pervenit, quod Lundensis Ecclesia, que olim spiritualium augmentatione bonorum et temporalium consueverat ubertate florere, ad illum jam miserabilem statum tuis temporibus per tuam malitiam superbiamque devenit, quod nisi ei per apostolice Sedis consilium et auxilium celeriter succurratur vix adicere poterit ut resurgat, cum in spiritualibus quasi omnino corruerit, et in temporalibus ejus substantiis, quarum proventus, qui sex milia marcarum sterlingorum valere consueverant annuatim, centum Marcas ad presens vix valere dicuntur, lesa enormiter et irreparabiliter quodammodo sit collapsa. Fertur etiam, quod licet clare memorie Christofero Regi Dacie secundum morem et consuetudinem regni sui ligium, homagium feceris, et super Eucharistiam, et lignum vere Crucis, in qua salus nostra pependit, et alia sancta fidelitatis prestiteris juramentum, tu tamen juramenti hujusmodi religione contempta, in crimen lese majestatis incidere non formidans conspirationem contra eundem Regem facere, teque cum potentibus eorundem Regis et Regni hostibus, quos juvisti multotiens in expensis confederare proditorie presumpsisti, et exergitu congregato Andream fratrem tuum cum nobili Viro Jarmaro Principe Ruianorum ad Insulam predicti Regis, que vocatur Borendholm sitam in Lundensi Diocesi sub tuis sumptibus destinasti, ubi circa ducentos de hominibus ipsius Regis procurasti, sicut dicitur cru-